

**www.e-rara.ch**

**Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani regis contra Mahometicam  
fidem Christiana & orthodoxa assertio**

**Johannes**

**Basileae, [1543]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-95426>

[Apologia quarta]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



eum scopo & fine diligenter considerato, dignaꝫ præmeditatione. Quapropter desiste tandem ab importunis & ineptis cauillationibus. Omnia enim quæ Christianos spectant, non casu nec frustra facta sunt, sed diligenti cura, & eximia, à maximo ad minimum usq; & ab eo tempore constituta, descripta & ordinata sunt, quæcunq; contigerunt.

## QVOD DOLOSE ET PERNICIOSE

DOCVERIT MACHOMET, ET QVOD LEX ET TESTAMENTUM uetus non sint sublata per Christum, sed magis illustrata.

Insuper, quod in lege infirmum erat & impossibile,  
hoc Euangelium compleuit.

### APOLOGIA QVARTA.



Vandoquidem de alijs, quorū à uobis Musulmanis nos qui Christum profiteamur, accusamur, abunde satis demonstratum est, adeò ut iam omni reprehensione liberati simus, age quantum superest de reliquis nunc uideamus. Sunt uero hæc. Dixit Deus ipsi Machomet, Omnia feci propter te, & te propter me. Hoc uero Christiani pernegant. Quin & ipsius Machomet nomen scriptum in Euangelio extat, Christo nimirum ad Iudæos sic dicente: Bonum uobis nuncium prædico, ut illud cognoscatis, quoniam post me uenturus est apostolus & propheta. Idem etiam in Mosis ueteri Testamento scriptum est. Christiani uero inuidia moti, illud ex Euangelio eiecerunt. Cum tamē non in Euangelio tantum, & ueteri testamento Mahometi nomen scriptum inueniatur, sed etiam à dextris throni diuini partibus. Et Musulmanorum fides ab ipso Abraham authore dependet. Christiani quoq; quia Mosis legem transgrediuntur, accusatione & reprehensione digni sunt: ipsi uero Musulmanos accusant, laude dignos et honore. Atqui hæc sunt, de quibus nos Christiani à Musulmanis accusamur. hæc uero sic confutamus. Deus indigus & alicuius rei inopia laborans, deus non est. Sed uerus Deus, creator coeli & terræ & omnium quæ in his creata sunt, quiq; creauit angelos & homines, nulla re prorsus indiget, sola autem bonitate sua & uoluntate creauit omnia. Cum uero hoc tam firmum sit, ut nemo qui negare possit, inueniatur, impie reuera locutus est Mahomet, quod Deus ad illum dixerit, Omnia creauit propter te, & te propter me. Deus enim nulla re prorsus indiget. Quod uero Musulmanorum fides ad Abraham authorem non possit referri, ueluti Mahomet tradit, ex sua ipsius persona redarguitur. Ipse enim author & legislator est legum huiusmodi. Quod si alius est, demonstretur. Ab Abrahami enim tempore usq; ad Mahomet anni elapsi sunt bis mille quingenti & octuaginta duo, quibus euolutis demum Mahomet ortus est. Musulmanorum igitur fides ab Abraham autore non descendit. Quod si uero hoc fortasse propter circumcisionem dicitis, age ipse tibi circumcisionis rationem explicabo. Cum uidisset Abraham coelum, solem, sidera, terram, mare, & quæ in ipsis sunt,



sunt, reputavit secum dicens, Vtiq; hæc tanta & stupenda opera uel simplici modo & sua sponte exorta sunt, aut habent aliquem qui ipsa creauit. Contemplatus igitur, ut modò dictum est, creaturarum elegantiam, admiratione ductus obstupuit, & animo suo hæc uoluere cœpit: Nequaquam hæc creatorem alium habent, sed hæc ipsa nimirum dii sunt. In ea nim opinione & parentes illius, & omnes simulachrorum cultores tenebantur. Et licet hæc omnia Deus ualde bona creauisset, & suo digna opificio, ut horum contemplatione homines in Dei cognitionem perducerentur, horumq; creatorem & opificem celebrarent, laudibusq; ueherent (quæ sanè sola & non alia horum causa est) homines tamen à uero & recta cognitione aberrantes, & omissa creatoris omnium, Dei scilicet, cultura & religione, creaturam potius adorauerunt, & hanc plus quàm creatorem coluerunt. Abraham autem longe aliam uiam ingressus est. Cordatus enim prudensq; cum uideret, & intelligeret cœlum quidem non immotum consistere, sed moueri continuè, interim uero solaribus radijs egere, qui hoc contemplationis causa illuminarent: tum etiam aërem huic subiectum cernens, & solem nunc quidem supra terram exoriri, nunc uero sub eandem abscondi, & quod hic nubibus nusquam præsentibus luceat, illis uero incidentibus obtenebretur: præterea mare uentis agitari, & terram aquis ad fructuum prouentum indigere conspicatus, omnia damnauit, ut puta per se omni uirtute & potentia destituta, quæq; mutua opera indigeant, nec aliquam harum ex creaturis Deum esse existimauit. Deus enim nullius opera indiget. Deinde contemplatus, ne forte dum nullum ex singulis hisce Dei munus obire possit, omnia pariter coniuncta Dei nomen obtineant. Videns autem rursus arida cum humidis pugnare, frigida uero cum calidis, & ignis uirtutem aquis opprimi, rursus apud se meditatus est, deum sibi ipsi diuisum, & pugnantem secum, Deum esse non posse. Hinc uerò creaturarum ordinem & contemplationem longe optimam contemplatus, dubitare apud semetipsum cœpit, esse nimirum uirtutem quandam, quæ omnia intra se contineat & gubernet. Et cum omnes homines Deum esse confiteantur, singuli uero pro suo arbitrio & uoluntate alium aliumq; confiteantur, coniecit hinc omnes errare & mentiri. Restat itaq; quod non sit alius Deus uerus, quàm qui omnia condidit, quæ sanè illi feruiunt, illaq; agit & mouet, disponitq; pro suæ uoluntatis arbitrio. Hunc itaque Deum ipse adoro. Et in terram prolapsus Abraham, Deum solum uerumque adorauit. Deus autem benignissimus, qui per Esaiam prophetam dicit, Adhuc loquente te, ego adsum: id est, priusquam tuam ad mercedem iustamq; petitionem absolueris, tibi adsum: statim etiam suscepit Abrahami adorationem, fidemq;, quæ illi ad iusticiam reputata est præ cæteris omnibus uirtutibus, & in numerum amicorum Dei receptus est. Nos enim omnes indigemus scripturarum auxilio, propter infirmitatem nostram: iustus uerò Noë & Abraham, & qui illorum tempore floruerunt, pura mente præditi, scripturis non indigebant, sed hæc in ipsorum cordibus inscripta & adumbrata sunt. Tunc igitur dixit illi Deus: Non amplius uocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham, eo quod patrem multarum gentium feci te. Tunc etiam promissiones illi dedit Deus, dicens: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et tunc ostendit Deus terram Abrahæ dicens, Tibi & semini tuo dabo eam, Vnde Abraham libertate sumpta, pro Sodomis



nis apud Deum intercessit, ut superius à nobis dictum est. Postquam uero iudicijs Dei ipsi soli notis (quis enim Dei mentem cognouit?) in Aegyptū paulo post transmittenda erat Abrahæ posteritas, ut illic annis uiuerent quadringentis & triginta (sic enim Deum ipsi Abrahæ dixisse legimus, Semen tuum erit in terra aliena, gentem uero cui seruient, ego iudicabo: quod & factum est Pharaonis temporibus) ne propter diuturnam Hebræorum cum Pharaonitis conuersationem uniti utrinque, Aegyptiorum ritus & idololatriam imbibere, circumcisio instituta est, tanquam signum & symbolum Hebræos ab Aegyptijs separans, ne hi in nuptiarum commercia & consensum cōuenirent: partim quidem propter causam, quam modò recensuimus: partim uero, ut tempore liberationis suæ Hebræi prompti essent, & agniti faciles. Si enim cum alienigenis fuissent uniti, quomodo conseruari potuisset Abrahæ semen & genus? Quapropter etiam in deserto errantes non circumcidebantur, annos sic agentes quadraginta: uerum in Aegypto, & postquam desertum egressi sunt, rursus circumcidi cœperunt. Et hic quidem unus, ut diximus, circumcisionis finis est. Alter uero hic est, ut circumcisi carne, temperantia & moderatione in unam politiam contraherentur, nec lasciui essent, & molliculi, & propterea fornicationem suam ceu rem nihili reputarent: cæterum ut hinc paulatim ad augustiorem scientiam & politiam pertingerent, cum nimirum non in ueræ religionis signum circumcisio data sit, sed ijs tantum de causis, quas supra memorauimus. Quod uero ad Christi aduentum lex abrogata sit, & nulla maneat reliqua circumcisio, ex ijs quæ nunc dicuntur attendito. Baptismus quidem à Deo institutus, in ueræ religionis signum institutus est, & propterea omnes simul uiri, simul & mulieres baptisantur: & qui non baptisatus fuerit, uera religione caret. Circumcisio autem talis non est: soli enim uiri circumciduntur, mulieres autem nequaquam. Appareret enim hinc, quod uiri quidem ceu circumcisi pro orthodoxis haberentur, mulieres uero ceu incircumcisæ pro impijs. Intelligis ne quàm longe alia sit circumcisionis ratio quam Musulmani sequantur? Hi enim omnem incircumcisum pro impio iudicant. Sed ecce uos contra uos ipsos pugnatis, & quæ ceu ueræ religionis signa ueneramini, eadem ex parte contemnitis. Sed non in his solis Musulmani sibi ipsis dissentire uidentur, sed etiam in alijs multis, quæ non opus est nunc de ipsis exponere. Dicamus tamen de hoc uno. Christus in Euangelio dicit: Qui non baptizatus fuerit, nō ad Deum pertinet, et salutem. Mahomet autem cum Euangelium sanctum, absolutum, bonumque esse confiteatur, Musulmani tamen circumcisos orthodoxorum loco iudicant, baptizatos autem impijs adnumerant. Si igitur Mahometem ut uera docentem amplectimini, qua ratione eos qui baptizati sunt, impios dicitis? nec Euangelij doctrinam sequimini, cogitatisque circumcisos quidem peruerse agere & sentire, baptizatos autem uere religiosos esse? sed his diuersum sentitis. Non ne constat uos uobis ipsis contrarios esse, & uos uos ipsos confutare? Sed hæc talia quidem sunt.

Quoniam uero Ismaël, quo Musulmani progenitore gaudent, cum Hebræis non in Aegyptum descendit, in illo etiam circumcisionis nulla erat utilitas, quemadmodum in Hebræis: non enim adnumeratur Abrahæ hæredibus. Deus enim præcepit Abrahæ, dicens: Ecce ancillam cum filio eius, nequaquam enim hæres erit ancillæ filius cum filio liberæ. Et eiectus



est ex domo Abrahamæ Ismaël cum matre sua Agar. Quod si tamen forte non, nunquam ad Abraham rediit, uisitationis causa uenit, non ut filius & semen hæresq; illius. Hæc igitur cum sic se habeant, unde nam fidem suam Musulmani desumpserint, non uideo. Propterea nullo indicio conijci potest, Musulmanorum fidem ante Mahometem ab Abraham auctore deriuari. Verum ipse huiusmodi dogmatum auctor est, & ex sui ingenij nidulo docuit quæcunq; docuit, & non ex Deo.

Quod uerò Musulmani tradunt, ipsius Mahometi nomen in Euangelio citari (dicente nimirum de hoc Christo, Annuncio uobis bonum, quoniam post me uenturus est apostolus & propheta, nomen illi Mahomet) Christianos uero inuidia motos illud expunxisse ex Euangelio: age dum etiam de hoc inquiramus, & uidetur mihi ueritatem non absconsam futuram: attente igitur hæc audias. Tres legislatores sunt, qui leges tulerunt uniuersales: Moses, quem secuta est Hebræorum gens: Christus, quem secutæ sunt omnes gentes, & maxima Hebræorum in illum credentium multitudo (qui enim ex his non crediderunt, numero pauciores sunt illis qui crediderunt, & numeratu faciles:) & Mahomet, quem Musulmani secuti sunt. Præter autem illos tres, qui legem tulerit nullus est. Mosem uero à Deo missum esse, statim ab initio testimonijs comprobatur. Cum enim adhuc in Aegypto esset, fecit signa & miracula magna, & Aegyptum flagellauit, plagas illi inducens terribiles, percussit & sanauit, tum etiam futura ceu prophetes prædixit: Quod si populum Dei dimittere uolueris, dimitte: quod si nolis, hæc & illa tibi & toti populo Aegypti euenient. Et Pharaon cum se uerbum Domini facturum esse promississet, à Mose sanatus est, utpote qui potestatem à Deo accepisset. Post hæc uero Moses eduxit brachio potenti gentem Hebræorum ex terra Aegypti, & Pharaonis seruitute. Eos autem insecutus Pharaon, à Mose submersus est in mari rubro cum omni suo exercitu. Deinde in desertis obambulauit annis quadraginta, miracula edens infinita, quin & coram tota Iudæorum gente in montem Sinai ascendit, sic ad illū dicentibus Iudæis: Ascende in montem, & Dei uoluntatem ediscito, nos enim Dei uocem audire non possumus, ne forte moriamur: populus uero stabat procul à monte, cum tremore adorans Deum cum Mose colloquentem. Moses autem Dei sermonibus auditis, eosdem Hebræis exposuit: & repente, quod dixerat, impletum est. Præterea nunquam per quadraginta hos annos locum mutauerunt citra Dei oraculum. Moses enim loquebatur, & Deus uoce sua respondit, ut scriptura testatur. Multis igitur testimonijs & miraculis instructus, legem Hebræis tulit, & legem ab hoc latam, ceu diuinam, receperunt & uenerati sunt. Secutus hunc est Christus, omnium prophetarum probatus testimonijs. Et Moses quidem testimonium recepit iam octogenarius (tot enim iam annos natus erat, cum à Deo ut Israël Aegypto educeret, ordinaretur) Christus autem testimonijs probatus fuit ab ipsa mundi fundatione, & priusquam ille nasceretur. Statim enim Abraham temporibus declarari cœperunt illius testimonia, quemadmodum in superioribus demonstratum est. Iam uerò natus, semel atque iterum Dei patris testimonium accepit. Præterea miracula quoque edidit, non ueluti Moses in Aegypto & deserto, sed ingentia, & omnem superantia naturam, tantoq; illis maiora, quanto Dominus seruo est præstantior, Et post multa ista testimonia, post infinita & plus



plus quàm naturalia miracula, Euangelij lex promulgata est. coluerūt etiam & amplexæ sunt hanc omnes gentes, & uniuerſus orbis, atq; in Christum crediderunt, qui Euangelium dederat.

Mahomet autem quibus testimonijs instructus dogmata sua dedit, & Musulmanis legem suam promulgauit: Nullius certe alterius autoritate, sed sua propria hanc statuit. & hic ipse est, qui de se testimonium fert. In uniuerſa enim sacra scriptura nullum de illo extat testimonium, sed quæ illi contraria sint. Moses enim de Christo ad Hebræorum populum sic dixit, Suscitabit Dominus Deus prophetam ex fratribus nostris tanquàm me. Omnis anima quæ non audiuerit prophetam illum, extirpabitur. Et licet in superioribus de his dixerimus, non tamen pigebit de iisdem denuò dicere. Cum enim Moses propheta dicit, Prophetam suscitabit Dominus Deus ex fratribus nostris: significauit ex Iudæis hunc prophetam oriundum esse. Et hunc audient, aliumq; uenientem non recipient, quin procul ab ipsis exhibebunt. Christus Ioannem Zachariæ filium prophetam, & maximum prophetam testificaturus, dicit: Omnes prophetae usq; ad Ioannem prophetauerunt, à Ioanne uero regnum Dei annunciat. Matth. 11. Iam ne intelligis, quomodo Moses Iudæorum populo præcipit, ut unicum tantummodo Hebræorum semine natum prophetam recipiant, alium uero nequaquam? Verū tamen omnes prophetae à Iudæorū populo nati sunt. Christus aut rursus hoc planius exposuit, Omnes prophetae usq; ad Ioannem, & ulterius non erunt. Quapropter qui Dei & prophetarum testimonio caruerit, & ipsius sacrae scripturae, à Deo nō est. Mahomet igitur cum non habeat sacrae scripturae testimonium, à Deo nō est missus. Christus uero non tantum hoc dixit. Omnes prophetae usq; ad Ioannem, & ulterius non erunt: sed & signum dedit hoc cognoscendi omnibus, dicens, Cauete à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos uestitu ouium, Matth. 7. intus uero sunt lupi rapaces. à fructibus ipsorum cognoscetis illos. Inspiciamus igitur quis legis Mahometicæ fructus sit, & hoc diligenter enucleato elucebit ueritas. Mahomet dicit, Non ueni legem laturus per miracula, sed cum ense & gladio. Et qui nostræ legi, quæ diuina est, non paruerint, morte moriantur, aut tributa soluant. & qui tributum soluunt, in fide sua propria permaneant. Quod si Euangelium non iustum erat, sanctum & rectum, merito sane & decenter uenturus erat legislator, qui homines ueritatem & iusticiam doceret. Si uero iustum erat, & sanctum, imperfectum tamen: etiam sic iustū decensq; erat, ut legislator aliquis ueniens Euangelij defectum compleret. Cum autem & sanctum & iustum & perfectū rectumq; dicatur & sit, idemq; de hoc confiteatur Mahomet cum dicit, Euangelium à Deo datum est & sanctum & plenum & rectum, quid nam alio legislatore indigemus? Nihil prorsus. Porro importuna est & inutilis Mahometicæ legis promulgatio. Quod enim per omnia rectum est, nihil habet se rectius, & perfectio nihil est perfectius, nec ipso uero quicquam uerius.

Verumtamen discussis singulis, inspicimus quid nam legislatoris Mahomet uerba sibi uelint. Non aliud quidem certe, quàm cum se ab omni miraculorum uirtute & potentia alienissimum esse intelligeret, suam ipsius occultare uolens imbecillitatem, ne forte aliquando ab hominibus condemnaretur, dixit: Non ueni daturus legem per miracula, sed per ensē, & gladium: quemadmodum etiam in ipsis legis suæ exposi-



tionibus statuit, ne legislatores & hæredes sui cum Christianis disputent. Quod sanè non alia de causa fecit, quàm ne illorum conuinceretur uanitas. Illud uero, quod legem ense & gladio se daturum promittit, cædes docet & rapinas. Et quis unquam audiuit aliquem hominum uel coactum credidisse? Fides animæ & mentis pars est. Et quoniam anima uel mens res sunt nullius seruitio subiectæ, quo nam modo Deus, qui has liberas creauerat, tanquam operis sui oblitus legislatorem erat missurus, qui has cogeret? Fides enim uoluntate & electione, tum libertate animæ & ipsius cognitione consistit: aliter uero nequaquam. Corpus enim seruit & uincitur, nonnunquam etiam ea quæ non uult, facit. de anima uero non sic sentiendum: sed in uoluntate, iudicio, cognitione & electione & in iudicio & ueritate horum, qui credunt illi, Deus est (est enim cordium scrutator) nec personam, sed cor respicit. Et quæ bruta animalia per legem naturæ non faciunt, ea legibus exigit Mahomet. Quis enim leonem à leone deuorari uidit, aut ab urlo ursum, aut à pardali pardalim? Hic uerò manifeste homini, ut hominem occidat, præcipit. Et quis tam uanus, ut hunc à Deo esse crediturus sit? Deus enim rapinas & cædes non præcipit. Ad hæc scelus sceleri permutatur. Dicit enim, Aut moriantur, aut tributum soluant. Sic enim cædes permutatur auaricia. Non tamen inter hos terminos scelus consistit, sed extenditur longius. Quid enim tanta crudelitate & odio humani generis petus est, ut etiam illos trucidet, qui nihil mali admiserunt? Si enim Musulmanis in bellum profectis, aliquis illorum ceciderit, nequaquam seipsum, ut belli authores, reprehendendos existimant: sed super occisi cadauer singuli tot uiuentes trucidant, quot acquirere licuerit: & quò plus occiderint, eò magis occisi animam putant esse adiutam. Quod si uero homines proprios non habuerit, qui occisi animam iuuare cupit, Christianos ubicunque inuentos emit, eosq; aut super corpus occisi, aut super sepulchrum illius iugulat. Et à Deo esse dicitur, qui talia legibus suis statuit? Idem dicit: Qui cum scorto mercede soluta concubuerit, nō peccat. at qui uirginē uel uiolauerit, peccat: qui autē cum illa sibi cōsentiente concubuerit, non peccat. Et qui captiuas in bello ceperit, his pro sua libidine nullo prohibēte utatur. Quomodo igitur Deo authore id faciet, qui scortationes & uirginū uiolationes legibus confirmat? Et quod longe sceleratissimum est, his qui iuxta Dei præcepta in hoc sæculo uixerint, illis singulis post obitum ipsorum balnea & domus augustas, mulieres denique & uirgines quàm plurimas à Deo dandas fore promittit: & quod idololatrarum Græcorum nominati theologi dicere nec ausi sunt, nec talia esse crediderunt, hæc Mahomet aperto ore legibus suis sancire non erubescit. Hi enim sentiunt, quod qui uitam suam honeste in hoc mundo transfegerint, cum post obitum ipsorum, animæ illorum pure à corporibus liberatæ sint, tunc eos in deorum numerum referri, interq; illos fortunatas insulas incolere, & cum illis exultare. Eorum uero qui impie hic uiuentes, impure simul & pollute obierint, animas in obscuros & tenebricosos locos discedere, & in fluuium perpetuis ardentem ignibus.

Et hæc quidem idololatræ Græci tradunt. Mahomet uero, qui se orthodoxon esse, & Deo proximum dicit, huiusmodi absurda & turpia legibus constituit? Minime certe perpendit, quod omnia hæc odiū, iræ, & peccati effectus sint. Siquidem ante Adam transgressionem, ubi tunc balnea



balnea: ubi domus: ubi mulieres: Post peccatum uero & maledictionem, corpus contra animam instar feræ cuiusdam insurrexit: & cum hæc absoluta Dei consideratione careret, corpus uicit, animamq; à sublimitate & magnificentia sua detraxit, & abduxit in absurdas & uanas corporis concupiscentias et uoluntates: tuncq; anima ceu mancipiū corporalium cupiditatum seruitio tradita est. Si igitur post mortuorum resurrectionem homines, qui iuxta Dei uoluntatem uixerunt, non possessuri sunt beatam illam uitam, quam Adam progenitor noster ante transgressionem habuit & amisit, sed eandem omnino uitā, quam post maledictionem sustinuit, acquisituri sunt, Væ hominibus illis. Verum hoc pessimum est, quod non modo de misera hac & execrabili uita Mahometis absurda opinio fertur, quam Deum iustis daturum promittit, sed de longe miseriori & turpiori, quā hęc sit quam modo uiuimus. Adam enim post transgressionem, maledictionem & relegationem ex paradiso, Euam cognouit: uerum & hoc propter liberorum procreationem fecit, quos & progeniuit. Ante transgressionem uero, angelicam uitam uixerunt. Præterea Adam Eua cognita, etiam postea hæc eadem unica erat mulier, & non plures. Non enim unum marem creauerat Dominus, & multas scēminas: nec multos mares, & unam scēminam: sed unum uirum, Adamum: & unam mulierem, Euam. Humano autem genere iam multiplicato, & in lasciuas & iniquas operationes prolapsa, grauatus & indignatus est contra ipsos Deus, quemadmodum beatus ille Moses in ueteri Testamento describit, quod scilicet dixerit Deus: Non permanebit spiritus meus cum eis, quia caro sunt. quod nimirum toti carnales & terreni facti essent, non habentes conuenientem ipsis boni memoriam, & quod in lasciuiam penitus incidissent. Tunc dicit ad Noë Deus, Quoniam te inueni iustum in generatione hac, arcam fac ligneam talem, &c. Et fecit Noë arcam iuxta uerbum Domini, & arcam ingressus est cum tribus filiis suis, Sem, Cham, & Iaphet: ingressa est & uxor Noë in arcam, & tres uxores filiorum Noë. Viden' ut à Deo iusti testimonium accipit Noë una uxore contentus: quin & singuli filiorum ipsius singulas, easq; solas, uxores habuerunt, & ab ira Dei seruari sunt, totum uero humanum genus diluuij aquis deletum est. Hoc certe uel planè insipidum docere queat, quod unam eamq; solam uxorem uiro esse conueniat, iustumq; sit mulierem quoque uni soli uiro coniungi. Verum & hoc, ut prædiximus, post transgressionem propter liberorum procreationem factum est. Mahomet uerò manifeste docet, quod ea quæ iustis à Deo tribuitur merces, balnea sint, & singulis uxores plures, domusq; pulchre instructæ. Quomodo igitur à Deo fuisse dicitur, qui talia instituit: Quin etiam uanus est, qui talia recipit, creditq;, quod ea quæ Dei ira peccatori poena euenit, tempore retributionis in boni & honesti mercedem sanctis iustisq; multipliciter retribuatur. Sed attende his quæ facta sunt. Dicit Moses: Et ingressus est Noe in arcam, & filij eius, & uxor eius, & uxores filiorum illius. Et postea dicit: Et exiuit Noe de arca, & uxor eius, & filij illius, & uxores filiorum illius. Atque in introitu quidē dicit: Ingressus est Noe, & filij eius, & uxor illius, & uxores filiorum illius. In egressu uero non sic, sed, Egressus est Noë, & uxor eius, & filij illius, & uxores filiorum illius cum eo: non aliud nimirum hac loquendi figura innuens, quā quod iustum æquumque sit, uirum unam

habere

Gen. 6.



habere uxorem. Verumtamen tempus aliquando incidit, ut etiam ab illa abstinere conueniat. Cum enim Moyses inquit, Ingressus est Noë in arcam, & filij eius: filios illius ceu murum interposuit, ipsum Noë ab uxore sua separantem. Dum uero rursum dicit, Egressus est Noë & uxor illius: significauit, quod ab hinc nihil impediatur, quo minus uxori suæ coniungatur. Eadem etiam ratio est filiorum illius, & uxorum illorum. Porro & ipse Moyses in montem Sinai ascensurus, Iudæos sic compellat: Purificate uos ipsos singuli usque ad tertium diem, lauantes uestimenta uestra, & uxorem ne tangatis. Quin & ipse Adam cum Euam uidisset, dixit, Hæc est os de ossibus meis, & caro de carne mea. Et propterea derelinquet homo patrem suum, & matrem, & adharebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Considera igitur quomodo post peccatum demum & stoliditatem hominum, polygamia increuerit. Adam enim non dicit, Et erunt multæ mulieres cum uiro in carne una: sed dicit, hoc est uir & mulier. Vna uero & plures inter se pugnant. Quamuis autem legislator Moyses singulis Iudæorum uxores plures concesserit, in temporis successionem illud permisit: quemadmodum & in animalium sacrificijs factum est, ut eos ab impura filiorum cæde & oblatione abduceret. Sicut uero Christus adueniens animalium sacrificia prohibuit, legis scopum implendo: ita etiam uxorum pluralitatem sustulit. Mahomet uero hic loco temperantiæ intemperantiæ legibus suis constituit, non in hoc tantum seculo, sed in futuro etiam hæc ab ipso Deo cum multo foenore rependi docens. Et uidere in illo licet illud Dauidis oraculum: Laudatur peccator in concupiscentijs animæ suæ. Et iniquus benedicitur, id est laudatur & celebratur, ab illis qui adulantur illi, & scelus ipsius irritant, & qui nec sensum quidem morbi propter silentium possunt habere: propterea etiam ille incurabilis existit. Quod enim morbi sensu caret, medicinam non querit, nec admittit. Et hoc omnium atrocissimum est, cum malicia laudatur, nec malitia esse creditur. Mahomet enim, de quo sermo est, hominum uoluntati et uoluptati in primis studuit, & secundum has docuit, ut uoluptatis uir quam plurimos stultorum attraheret. Insuper, num soli uiri Deo curæ sunt, tanquam creaturæ ipsius, mulieres uero nequaquam, cum non sint Dei figmentum? Numque igitur uiri tantum talibus à Deo acceptis bonis fruuntur, mulieres uero nullis omnino? Quandoquidem autem una creatura est uiri & mulieris, idemque homo est omnis homo, sique omnes simili ratione iudicandi sunt, & simili ratione recepturi, qui quidem honeste uixerunt, bona: qui uero male, iram Dei, repulsam poenamque: omnino manifeste constat, omnes homines idem iudicium subituros, tam uiros quam mulieres, cum una eademque horum natura sit: eodem etiam modo omnes iuxta opera sua, quæ patrauerunt, uel bona uel mala sunt recepturi. Restat igitur, quod & iustum & decorum est, ut mulieres eadem, quæ uiri, accipiant. Et quemadmodum unicuique, qui honeste uitam suam transegit, iuxta Mahometi leges mercedis loco multæ mulieres retribuantur: sic dentur etiam singulis, quæ honeste uixerunt, mulieribus plures uiri. Quod si hoc tanquam absurdum retinebat, eadem mente & iudicio de uiris quoque illum sentire & iudicare conueniebat. Præterea plures illi uiri unicæ dati mulieri, uel laudis gratia illi dantur (quod scilicet honeste uixerint) uel damnationis. Quod si ceu honeste uita sua functi sic remunerantur, cur his non plures datæ sunt mulieres? benefi-



beneficij & mercedis gratia, ut dictum est: sed potius uiris multis mulier una: Si uerò illud ceu condemnatis contingit, hæc eadem sanè beneficia laudis, & bonæ retributionis domicilia sunt, ueluti Mahomet enarrat. Quod idem de multis mulieribus uni uiro datis sentiendum est. Si enim uiris dantur ceu damnationem merita, cur in easdem hæc conferuntur beneficia? Si autem laudem meruerunt, cur uni uiro multæ tribuuntur? Et quid nam hæc confusione est absurdus, & magis deforme? Vides ne in quot absurda uel inuitus incidit, qui à uia uera aberrauit? Sed minime hæc ita sunt: non sunt, inquam, hæc. Quæ enim sanctis exoluitur retributio, nō in delicijs uersatur, potationibus, balneis, et mulieribus, quæ omnia peccati & iræ fructus sunt, ut dictum est: uerum retributio hæc sanctitas est, puritas, & uita angelica, gaudium & hilaritas, & exultatio, quam oculus non uidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis unquam ascendit. Vides itaque fructum legislatori huic ex sua lege prouenientem. Cognoscitur autem à fructu operum ratio illius, aut non? Et quis tam stupidus & excæcatus, ut hæc quæ dicta sunt non intelligat? Quomodo igitur Deum authorem referet, qui huiusmodi statuit? Et de his quid nam pluribus opus est?

De nomine uerò Mahomet, scripto in dextra throni diuini parte, quid opus est uerborum apologiam contexere? Prudentes enim prudenter de hoc iudicabunt: stulti uero & stupidi, ut uoluerint. Non tamen, quasi nostri sermonis obliti, de Mahomete hæc quæ dicta sunt conscripsimus. Dixi enim, quod huius meæ ad te Apologiæ finis non sit, Musulmanos impugnare, & quæcunq; absurda, perniciofa malaq; dicant, faciantq; proferre: sed ut ostendam tantummodo, quod sine omni ratione & inique Christiani à Musulmanis accusentur: quod etiam fecimus. Quod si interim quædam de Mahomete diximus, ipsius rei argumentum nos dicere coëgit. Quandoquidem si de absurdis doctrinæ suæ scribere instituissemus, multa hic nobis dicenda essent. Quod uerò Christus de Mahomete sermonem non habuerit, nec in Euangelio nomen illius fuerit inscriptum, sufficienter à nobis in superioribus dictum est: sed & ipsa ratio hoc manifestius comprobabit. Quæcunq; uiderunt apostoli & discipuli Christi, & quæcunq; ex ore illius audiuerunt, hæc & literis prodiderunt, & docuerunt. Ex illis itaq; Christi discipulis quatuor conscripserunt Euangelium. Vnus quidem Matthæus nomine, qui Hebraica lingua illud descripsit, in Palæstina institutionem, & Hierosolymæ, partium que Affricæ. Alter uero Marcus, Latino idiomate conscriptum uulgauit in Achaïam, Italiam et Romam, quin etiam in omnes gentes occidentales. Tertius Lucas lingua Græca usus est, quod in Asiam, Aethiopiam, Persiam, Indiamq; euulgatum est, & Arabiam. Quartus uero Ioannes, etiam ipse Græcis literis usus, Euangelium conscripsit, quod in Europæ aliquot partes diffusum est, & in insulas aliaq; loca à Græcis habitata. Sic inquam, Euangelium dispersum est in mundum uniuersum, non ui & necessitate, non gladio & ense, sed apostoli cum charitate, mansuetudine & humilitate uerbum Dei prædicauerunt. Et contrario omnino modo res successit. Apostolis enim percussis & colaphos passis, calumnia pressis, et in persecutione simul docentibus prædicatio illorū nō intercudit: sed quotidie crescebat & augebatur Christi Euangelium. Quin & hi ipsi, qui magno studio & labore in hoc incumbabant ut Christi nomen occultaretur, ne quis homi-

num.

*Euangelistæ*



num confiteretur illum Deum esse, & ut mortis supplicium subiret qui hoc faceret, hi ipsi inquam, ueritate cognita illi adiuncti sunt, eamque coluerunt, alij quidem ab apostolis, alij ab horum successoribus & discipulis edocti, & crediderunt Christum esse uerum Deum, & Dei uiuentis filium: quin etiam dolore & fletibus prosequabantur anteactos dies, quibus in tenebris & Sata- nae erroribus ambulauerant. Deus autem benignus et misericors, ipsorum suscepit poenitentiam, ipsosque Christiani nominis persecutores pastorum officio dignatus est, & doctores praeconesque Euangelij & nominis sui fecit. Omnes etiam Euangelium recipientes, describebant illud singuli, legebant, discebant, & in illo instituebantur, colebantque quae in eo erant scripta, tum denique summo studio ignaros horum erudiebant. Et hoc modo Euangelium in orbem uniuersum dispersum est, omnesque illud habebant totius terrae incolae. A Christi temporibus itaque usque ad ea quibus docere coepit Mahomet, anni elapsi sunt plus quingentis. Quis uero post Euangelij cognitionem intra quingentorum annorum spacium ausus fuisset expungere Mahometis nomen ex Euangelio, si modo in illo scriptum inueniebatur? partim quidem, quod qui unam tantum dictionem uel addere uel demere ausus fuisset, post hac Christiani nomen amisisset: partim uero, ut demus impium quendam aliquam Euangelij dictionem expungere ausum fuisse, num uniuersum orbem unius ineptias secuturum fuisse putabimus? Nequaquam. Hinc igitur elucet, Mahometis nomen nusquam in Euangelio descriptum fuisse. Praterea si Mahometis nomen Euangelij libris inerat, illum sane Christus uel bonum, uel malum esse fuerat testificaturus. Si bonum, recepturi hunc certe erant omnes reges terrae, omnes praesides, omnes Christiani, eum nimirum qui Christi testimonio esset comprobatus, ut scilicet illius etiam utilitate perfrueretur. Si uero malum dixit, retinuissent nimirum illius signa et indicia, et ne ab hoc laederentur custodiuisent. Quod si igitur uel ut bonum recepturi, uel ut malum auersaturi, non eiecisset uniuersus orbis ex Euangelio Mahometis nomen, etiam hinc apparet huius nomen in Euangelio scriptum non fuisse. Porro nemo est qui alteri, priusquam is natus sit, inuideat. Quis igitur Mahometem inuidia esset persecutus, priusquam is nasceretur? Nemo profus. Et licet aliquis post natiuitatem illius hunc inuidia esset persecutus, num totus orbis unius contra Mahometem inuidiae erat subscripturus? Et quis tam imprudens, ut hoc non impossibile fuisse iudicaret? Quare etiam hinc colligitur, Mahometis nomen in Euangelio non fuisse descriptum. Praterea si quidem dicerent Ismaelitae, quod in solo Euangelio Mahometis nomen scriptum inueniretur, quodque illud Christiani eraserint, sufficientes essent haec, quas diximus, demonstrationes ad ueritatem comprobandum, et illorum refutandum mendacia. Cum uero addunt, illud etiam in ueteri Testamento a Mose conscripto extare, quomodo illud expunxerunt Hebraei? Illic etenim ne signum quidem de Mahomete inuenitur. Considera igitur qua fronte Musulmani dicant Christianos nomen illius inuidia motos ex Euangelio expunxisse? Hebraei uero quam ob causam idem fecerunt? in circumcisione quippe, & in alijs quibusdam, cibus uidelicet alijsque ritibus, Musulmani cum Hebraeis conueniunt. Nunc igitur uel hinc quoque constat, quod nec in ueteri Mosis testamento, nec in Euangelio, Mahometis nomen contineatur. Et haec quidem haecenus: sufficiunt enim haec, ut uel stupidissimum in ueritatis cognitionem inducant,



Inter alia uero omnia etiam in hoc Christiani à Musulmanis accusamur, quod spernentes legem à Mose latam, accusationem mereamur, cum tamen nos accusatione digni, Musulmanos accusemus summis celebrandis laudibus. Num itaq; laudandi sint Musulmani, seu minus, singulatim in superioribus demonstratum est. Sed agendum de nobis ipsis nunc uideamus. Num soluta est à nobis Moſis lex? Quin potius ab Euangelio confirmata est, & id quod in lege infirmum erat & impossibile, hoc Euangelium compleuit. Omnis enim sermo, omnis scriptura, omnis actio cum fine certo dicitur, scribitur, & fit: & quemadmodum omnes fructus præcedit flos, ita omnium actionū dux est destinatus finis, apud cordatos homines. Et nunc diligenter, quæ dicuntur, considera, quomodo Adam nimirum à Deo formatus sit, & in paradysum collocatus, è quo propter diuinæ legis transgressionem extorris et exul factus sit, & maledictione à Deo suscepta & damnatione ut in eam terram redeat, è qua sumptus est, condemnetur. Quod sic euenisse uidemus. Mortem enim subiit, & defunctus in inferno detinebatur. Verumtamen opera diaboli totum genus humanum, & uniuersi simul inciderunt in facinora lasciuia & illicita: & hoc perniciosum illis erat, quod relicto cultu creatoris cœli & terræ, & Dei factoris sui, seducti diabolum coluerunt, & idola, ut in superioribus diximus & demonstrauius. Deus uero misericors, nequaquam uoluit creaturam suam ulterius diaboli tyrannide premi: hominemq; saluari uoluit. Quoniam uerò is ut sui iuris et liberi arbitrij sit, à Deo conditus est, nec ablatum ab ipso est antea illi concessum liberum arbitrium, sed semper liberum habens arbitrium permanſit: uoluit saluare Deus hominem, sed tamen sua ipsius, hominis scilicet uoluntate & arbitrio, nō ui & necessitate, ut Mahomet prædicat. Cum uerò omnes homines diuturno planè morbo lasciuia, & plus quàm naturalium uitiorum & idololatriæ laborauissent, ab eo tempore impossibile erat eosdem facile à tam diutino morbo liberari. Cœpit igitur Deus instar peritissimi medici paulatim curare genus hominum, Hebræorumq; gentem boni huius initium constituit, præcepitq; uni hominum iusto & sancto, Moſi scilicet, ut ex Dei oraculis exorsus Hebræorum gentem institueret: quod & fecit. Quoniam uerò omnia quæ lege & Euangelio continentur, huic meæ Apologiæ particulari inserere non facile licet, particularia tamen quædam ex his in medium afferemus. & quemadmodum ex uno calice omne quod in dolio est, uinum diiudicatur: sic ex his singularibus, quis nam legis & Euangelij scopus sit, cognoscere poterimus, & num alterum contradicat alteri. Diligenter itaq; his quæ dicuntur attendito. Moſes dicit, Non occides: Dicit Christus, Qui irascitur fratri suo ignis pœnam subibit. Et Moſes quidem dixit, Non occides: Christus uerò, Nō irascaris. Nouisti igitur, quod primò quidem sanguinis, qui circa cor est in homine, efferuescētia oboritur, qua homo incitatur ad iracundiā, ex quibus & ipsa cædes sequitur. Qui uero ratione animi æstum refrenauerit, si non ad iram cōmotus fuerit, quomodo in cædis crimen inciderit? Et Moſes quidē dicendo, Nō occides, hominem à malo & ipso peccato absterruit, ipsum uero non reddidit perfectū. non enim hoc homini multū profuerit, si à malo abſtineat, nisi etiam bonum operetur. Quapropter Christus non dixit, Non occides: sed, Quicumq; iratus fuerit fratri suo, &c. radicitus ipsum crimen euellens. Et lex quodammodo fructū aufert (cædes enim iræ fructus est) Christus uero ipsam peccati arborē extirpat, id est animi æstum et iram. Et Moſes quidē dicens, Non occides, in hoc cōstitit, nec ultrò progres-

*ab Adam ad chym*



sus est. Christus uero non sic: sed cum dicit, Quicumq; irascitur fratri suo obnoxius est gehennae ignis: sic addit, Cum obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordaris quod frater tuus aliquid habeat contra te, relinque munus tuum coram altari, & abi primum & reconcilieris cum fratre tuo, & tunc reuersus offer munus tuum: charitatem fratris sacrificio utiliore iudicans. Et sanè non dixit, Si tu habueris aliquid contra fratrem tuum (hoc enim antè prohibuit) quid igitur? Si habuerit frater tuus contra te. Non enim hunc modo à malo absterruit, sed & fratrem curari praecepit.

Dicit in lege Moses: Non peierabis, sed reddes Domino iuramenta tua. Periurium prohibens, iuramentum concedit. Christus autem in Euangelio: Ne iures omnino, sed sit uobis ita ita, & non non: quid nam innuente hoc uerbo? non aliud quàm ut ueraces simus, & fide digni, & ut loco multo iuramentorum uerba nostra talia sint quae fidem possint mereri. Et sanè qui iurat, uel uolens uel inuitus, iurando potest fallere aut falsi: qui uero in uniuersum non iurat, periurij periculum effugit.

Moses idem dicit, Oculum pro oculo, dentem pro dente: nec aliud respicit quàm ut timore contentiones & pugnas mutuas prohibeat. Christus autem in Euangelio: Quicumq; tibi alapam inflixerit in dextram maxillam tuam, obuerte illi & alteram. & qui te in iudicium uolet rapere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium. Et quicumq; te adegerit ad miliare unum, abi cum illo duo. Nunc itaq; te interrogo, utrum ex duobus mandatis istis legislatoris finem plenè attingit, num scilicet ut prohibeantur, quin potius ut omnino tollantur mutuae lites, contentiones & pugnae? Euangelica haud dubie. Si quis enim propter ultionem oculo suo altero priuetur, aut dente, non ne ulciscitur, & temporis occasione id permittente alteri nocet, uel ad minimum irascitur, & iniuriarum memor est? Haud dubie. Qui uero paratus promptusq; ad hoc fuerit, & hoc studuerit semper, ut si quis illi alapam infligat, non modo sustineat à fratre illatam sibi iniuriam, sed cum humilitate alteram illi alapam obuertat: et cum re sic gesta huius philosophiae studiosus fuerit, et percutientem sustinuerit, non ne sustulit hic & deuicit omne uitium, omnem contentione & iram? Num hic ne, uel ipsa lex legislatoris finem propius attigit? Non ne diabolus letali afflixit uulnere, patrem pugnae & offendiculorum? Diabolus enim coelo eiecit fastus, cum angelus esset, deinde inuidia & odium. In diabolus enim ne uestigium quidem est charitatis. Non tamen in homine solummodo diaboli odium inuenitur: sed & daemones inter se mutuò alter alterius perditionem & exitium concupiscit. Propter inimicitiam uero & odiū, quo in homines laborant, pacem inter se habere uidentur. Et quemadmodum inimici ira mutua inter se concertant, alterq; alterius querit perniciem & interitum. si uero in alios hostes iidem inciderint, omisso bello illo mutuo & intestino, cum illis congregiuntur: deinde uero rursum alter alterius mutuā perniciem sitire deprehenditur. Talis est etiam ea quae inter hos putatur esse coniunctio & concordia. in hominum enim perniciem, non uero & integro animo contrahitur. Vbi enim ueritas apud mendaciorum patre locum habeat? Homo aut, qui alterius alapam sustinuerit, non ne facinus diabolo prorsus contrarium patrauit? Non ne coram fratre suo humiliatus est? imò magis coram Deo? Nonne fratrem dilexit, & propter charitatem fratri exhibitā diaboli confudit? Et quis tam insipiens ut de his dubitet? Et qui ad haec promptus talia dixerit & fecerit, quomodo fiet ut cum altero contentiones misceat?

Dicit



Dicit Moſes, Diliges proximum tuū, & odio habebis inimicum tuum. Quid nam hæc legiſlatoris uerba aliud quàm ueritatem uolunt conſtituere? Quid uerò Chriſtus, Si dilexeritis eos qui uos diligunt, quæ nam ueſtra gratia eſt? Diligite inimicos ueſtros, Benefacite odio uos habentibus, & orate pro his qui uos execrantur. Quæ nam ex his legibus charitatem conſtituit? Vetus ne an Euangelij lex? Illa enim poſt amicorum dilectionem propter multorum infirmitatem concedit quodammodo odium contra inimicos. Chriſtus uero cum dicit, Diligite inimicos ueſtros, & orate pro illis: odium omnino ex homine ſuſtulit. Qui enim hoſtem ſuum diligit, & pro illo orat, quomodo amicum aut alium hominem odio habebit?

Lex dicit, Non moechaberis: Chriſtus uero non ſic, ſed, Quicumq; uiderit mulierem ad concupiſcendum illam, iam adulterium cum illa cõmiſit in corde ſuo. En diligentia legis conſidera. Non legem modò prohibuit, ſed etiam laſcium oculum, & ipſum quodammodo animi affectum. Qui enim ſeipſum uſq; ad oculi commotionem cuſtodierit, quomodo in adulteri crimine incidet? Quemadmodum uero brutis animalibus his quidem ultrica, illis uero deſenſiora & protectoria arma data ſunt, ut leoni quidem ira & robur, apro dentes, boui cornua, lepori uero curſus celeritas, idemq; caprea & ceruo: omnibus autem ſimul ſenſus quidam datus eſt, quo noxia omnia & uenenatos cibos auerſentur, utiles uero appetant: ſic & homini omniũ loco mens data eſt, quæ diſiudicare poteſt bonum à malo: & ab illis quidem abſtinere quæ animam ledunt, utilia uero & ſalutaria appetere. Quod ſi uero forte carnali cupiditate & diaboli affectu in animum cogitatio quædam incidere indecens, caprea uelocior turpem cogitationem effugere poteſt. Et ſi odio ſatanæ cogitatio hæc illum inſecuta fuerit, animi zelum & feruorem ſibi à Deo datum poſſidet in ſuum commodum: quo leonis aut urſi inſtar ſeſe deſendit, cogitationem hanc hoſtisq; bellum conculcare & extirpare concupiſcit. Homo autem non cuſtodienſ ſanum illud diuinæ gratiæ donarium, in illicitas & abſurdas actiones incidit, quemadmodum in ſuperioribus copioſius enarrauimus. Deus autem ſaluare uolens ſuam creaturam, hominẽ ſcilicet, legem Moſaicam miſit, ceu ducem quendam & præceptorem. Et quem admodum teneris adhuc infantibus cibus ſolidus non datur, ſed tenerior & concoctu facilis, paulo poſt autem ſolidior, hinc rurſum ſolidior alius, tandem etiam cibus perfectus: & ut imperfecta adhuc cognitione rerum præditis nondum philoſophiæ diſciplina præſcribitur, ſed primo quidem literarũ elementa traduntur, & paulo poſt harum coniunctio & ſyllabæ: puero aut per ætatem & incrementum ad perfectiorem ætatem progreſſo, etiam philoſophiæ arcana proponuntur: ſic eadem mihi & legis ratio uidetur. Propter hominum enim infirmitatem lex ad manuſductionem boni data eſt, nõ quidem ut hominem perfectum reddere poſſit, ſed quemadmodum in ſublimi ſcala primus gradus nos à terra attollit, nec tamen hoc ad ſummum ſcalæ aſcenſum ſufficit, niſi multi ſimul ſuperati ſint propter altitudinem & ſublimitatem: ita etiam in ueteri lege contingit, ſancta quidem & iuſta & à Deo lata (unus enim idemq; Deus eſt, qui et legem et Euangelium promulgauit) ſed tamen propter hominum infirmitatem lex data eſt, pædagogum agens, et illos à terra ſubducens quaſi in primũ ſcalæ gradum, hoc eſt abſtrahens illos à multis & ingentibus uitijs, et à terra in qua uolutabantur: non tamen illos ad ſcalæ ſummitatem perducere potuit. Euangelium uerò hominẽ eue-



xit, & in summum collocauit scalæ fastigium, quod ad cælum usque pertin-  
git. Quod enim in lege infirmum erat & impossibile, Euangelium impleuit.  
Sicuti demonstratum est. Dominus enim in Euangelij sic ait, Non ueni ut  
legem destruam, sed ut impleam. Ante Euangelij enim tempora simul co-  
gnoscebatur qui nam uitiorum multitudine esset obrutus. Post huius uero  
annunciationem, libere sese uirginitatis politia protulit, & innumeri ex ho-  
minibus uirgines inueniuntur & muliebris & uirilil sexus. Cessio tamen de  
his dicere propter nimiam uerbositatem. Plurimi enim Christianorum uitã  
agunt angelicam. Nouisti ne autem nunc quomodo una eademq; lex sit illa  
à Mose lata antiquitus, & quam Christus in Euangelio tulit? Et quemadmo-  
dum rex aliquis missis seruo suo nummis quinq; dicit illi, negociare & ope-  
rare cum his quamdiu peregre abfuero. Hic uero gratijs actis accipit, et nego-  
tiatur. Cum uero denuò peregre profectus fuerit rex, eidem seruo alios cen-  
tum tradidit, nec propterea quinq; his ille priuatus est: sed nomen quidem  
quinq; nummorum defecit, nihilominus tamen hi quinq; multipliciter in  
ipsis centum cõtinentur: et cum centum nummorum numerus nominatur,  
necessariò cum his coniunctus est & unã intelligitur ipso quinq; nume-  
rus unã cum centenis: sic, inquam, in lege & Euangelio contingit. Lex qui-  
dem abrogata dicitur, citra controuersiam tamen in ipso Euangelio contine-  
tur ipsius legis finis, & multipliciter in hoc operatur, quemadmodum paulo  
antè diximus. Et hæc quidẽ abrogata est non ceu mala, sed ceu inutilis, quod  
præsens tempus attinet, nec usum habens aliquem. Et quemadmodũ in den-  
fissimis tenebris mediã nocte luna exorta tenebrarum profunditatem quasi  
attenuat, aërem tamen non omnino dilucidum reddit: sol uero exortus in  
tantum uniuersum orbem illuminat, ut etiã minimus in aëre puluisculus  
per solis radios conspiciatur. & luna quidem insitum sibi propriumq; lu-  
men non amisit, disparuit tamen & obtecta est, propter solis splendorem: sic  
etiã in ueteri lege & euangelio contingit. Lex enim uetus idololatriæ qui-  
dem tenebras depulit, non tamen in uniuersum illuminare & absoluere po-  
tuit hominum animas: Euangelium uero illuminauit, docuit, absoluit, & ho-  
mines in cælum euexit, paradysumq; quam progenitor Adam amiserat, gra-  
tuitò cõcessit. Et quis tam infelix, ut Euangelio relicto ad legem reuertatur,  
& quasi denuò ceu infans lactis nutrimentum concupiscat, nec instar uiri ci-  
bum solidiorem: uel quis ceu puer literarum elementa requirat, & non po-  
tius ceu absoluta prudentia præditus philosophiam? Vel quis solari lumine  
repudiato, lunarem amplectatur? Mihi sanè ea quæ scripsimus sufficere ui-  
dentur, ut facile, quicunq; uoluerit huius rei ueritatem cognoscat, quin & tu  
ipse. Si autem fortassis adhuc propter sacrificia, circūcisionem, sabbati ociũ,  
& ciborũ discrimen ratio tua dubitat & uacillat, minime tamen hoc fieri con-  
ueniebat, cũ de maximis illis & necessarijs sufficienter dixerimus: uerumta-  
men etiã de his, ut & reliquis, breuissime differamus.

Homines, ut suprà diximus, humanas idolis uictimas immolabant, nec  
alienigenas tantum, sed etiã proprios liberos. Et quemadmodum lignum  
tortuosum integram & nimiam inflexionem sustinere non potest, sed illud  
paulatim principio artificis arte & opportunitate ab inæqualitate priore im-  
mutatur, deinde omnino in rectum extenditur ceu regula aliqua: ita etiã  
in sacrificijs factum est. Concessit enim Deus primo tauros immolari, oues  
& hircos, ut illos ab impijs hisce hominũ immolationibus abduceret. Quid  
enim



enim his deterius & iniquius? Hæc tamen concessit Deus, ut paulo post & ipsa abrogaret, & homines in notitiam sacrificandi laudem induceret. Sic enim per Davidem Deus locutus est: Non suscipiam ex domo tua uittulos, neq; de gregibus tuis capellas. Num edam taurorum carnes, & hircorum sanguinem bibam? Offer Deo sacrificium laudis, id est hymnum oris tui cum sincero & recto corde: & redde Domino uota tua, & inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. Et hæc tanquam sub Dei persona dixit, auersantis animalium uictimas. Per seipsum autem ad Deum sic dicit: Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem tibi. Holocausta non comprobas. Sacrificium Deo, spiritus contritus. Cor contritum & humiliatum Dominus non despiciet. Viden' quomodo in omni negotio à summo ad infimum tandem propheta locuti sint? Si igitur de sacrificijs dilucide dixerunt, quod Deo non grata sint, sed temporanea quædam concessio, iam post inutilem animalium oblationem sacrificatur & cantatur per os & labia ex puro & sincero corde, quod & factum est. Qui enim antè idololatræ, tyranni & persecutores Christi fuerant, qui Christum ignominia affecerant, conuersi doctores & præcones orbis facti sunt, & pro nomine Christi occubuerunt, seipsos proponentes formulam eorum qui in Christum credunt, ut dictum est. De circumcisione autem copiosius in superioribus diximus. Verumtamen etiam nunc sic dicimus. Circumcisio cordis est circumcisio, non carnis. Abundantiam enim cordis circumcidere debent singuli, non carnis. Abundantia enim cordis peccatum est, quod conciliauit diabolus & homo propter uoluptates. Quod uero Deus in homine fecit, non est superuacaneum. integrum enim est, & bonum, & abundans est nihil. Si itaq; homo cordis abundantiam circumciderit, id est peccatum, hic reuera uere circumcisus est. Si autem peccato obnoxius fuerit, & carne circumcisus, uana & inutilis est huius circumcisio. Sed & Moses sic inquit: Hodie itaq; circumcidite duritiam cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius. Dominus enim Deus uester, hic Deus deorum est, & Dominus dominantium. Deus magnus & fortis. En qualem Moses circumcisionem faciat? Non carnis certe, sed cordis. Verum & martyr Christi Stephanus cū Hebræis disputans dixit, Duriceruicē & incircumcisi corde, qui recepistis legem, & non obseruauistis eam. Sabbatum uero non casu aut fortuito institutum est, ut homines eo die ociosi deliderent (ocium enim per se uitio habetur) sed ut Iudæi omnino ab ijs quæ uitam attinent uacantes, spiritualia curarent. Et in hunc finem institutum est, ut sabbato quidem uacarent à curis uitam spectantibus, in concionem uero ardenti studio & cura abirent. Et clare constat, quod sacerdos in sabbato duplicem laborem absoluebat, et duplices oblationes immolabat. Iudei autē etiam hoc neglecto uoluptatibus magis studebant et delicijs. Quapropter & propheta increpans illos, dixit: Væ abeuntibus ad diem malum, qui appropinquatis & contingitis sabbata ficta. Et Iudæis quidem, ut diximus, sabbatum institutum est, ut à curis uictum spectantibus uacantes, ad conciones sacras studiose conuenirent. Christianis uerò non similiter, utpote cum quotidie ad conciones & preces ipsis conuenire solenne sit. et sic laboratur ut hi quidem plus, illi uerò minus singulis diebus orēt. Et quemadmodum in omnibus præceptis lex minimum illud & imperfectum exposuit, Euangelium uero uniuersale illud & totum: ita etiam in Sabbato fieri uideamus. Lex quidem sabbatum constituit, ut conciones adirent. Euangelium

Deut. 10

Act. 7



uero quotidie hoc fieri uoluit, idque non semel tantum in die, sed millies, si cui libuerit. Quod si uolueris, dicam id dilucidius. Iudæis ad Christum sabbato apportantibus magnam infirmorum multitudinem, claudorum, cæcorum, aridorum, paralyticorum, dæmoniacorum, aliorumque varijs morbis laborantium, omnes eadem ipsa hora sanauit. Iudæi uerò inuidia & ira pleni, cum aliud quod Christo obijcerent non haberent, dicunt illi, Non licet tibi hoc facere sabbato. Quin & Pharisei uidentes Christi discipulos sabbato spicas uellere & comedere, dixerunt eundem sermonem. Quid uerò ad hos Christus? Annon legistis quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum eo erant? Quomodo ingressus sit in domum Dei, & panes propositionis comederit, & dederit his qui cum eo erant in die sabbati? Sabbatum enim propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Sed & alia quædam est sabbati ratio. Sex diebus Deus creauit omnia, & septimo quieuit ab operibus suis. Tum & Christus in sepulchrum depositus, sabbato quieuit, in parasceue enim laborauit: latroni enim salutem dedit. die uero dominico rursum operatus est, suscitando primum, ut Deus, proprium corpus, & multorum aliorum: deinde & apostolis apparens, confortauit illos, & cum his alios multos apostolos. Et quod septem exactis seculis, id est annorum septem millibus à creatione mundi, uniuersalis omnium hominum quies futura sit. Eò usque enim omnis actio tam bona quam mala extenditur: tempore autem illo resurrectio mortuorum & iudicium operum futurum est, & singulorum iuxta opera sua retributio. & hos quidem qui impie uixerunt, æterna manet damnatio: pios uero bonosque, uita æterna, paradysus & bona que plurima, quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. En igitur quis oculi illius sabbatini finis sit, & quomodo errauerint ac adhuc errent, ueluti in omnibus alijs, miseri & stulti Iudæi.

De cibis uero ipsa ueritas sic se habet. Omnia quæ fecit Deus, ualde bona sunt: & si bona sunt, quomodo legislator ea pro malis & reiiciendis erat iudicaturus? Cum Deus ad illos dicat, Ecce dedi uobis omnia ad comedendum, ut herbas campi. Sed cum in deserto moraretur immorigera & ingrata Iudæorum gens, singulis diebus manna à Deo missum accipiebant: cæterum contra Mosem, imò ipsum Deum murmurabant quotidie, & suillas Aegypti carnes appetebant, quas antea comederant, & infinita alia (in primis tamen præ alijs suillarum carniū desiderio tenebantur.) Hac igitur de causa interdixit his legislator Moses, ne his uescerentur, ut eos ab omnibus Aegypti cupiditatibus abduceret. Sed de his ipsis audi. Quod enim uniuersus mundus in idololatriæ tenebras & barathrum inciderit, manifeste constat: in primis tamen omnium Aegyptij omnia ferè animalia adorabant, & deorum numero ascribebant. & quæcunque hi tanquam Deos uenerabantur, hæc Moses legislator immolare iussit: è uolatilibus quidem turturem & columbam, è quadrupedibus uero bouem, ouem & capram. sed porco uesci prohibuit, quoniam huius cibus magni erat precij apud Aegyptios simul et infelicitissimos Iudæos. Moses igitur ipsis immutare uolens Aegyptiorum ritus, ea immolare iussit quæ Aegyptijs pro dijs erant, ut intelligerent se frustra hæc colere & uenerari. Quæ uero chara habebant, & magni faciebant, cibi gratia, illorum esum interminatus est: in primis tamen suillarum carniū, propter insatiabiles harum cupiditates, ut dictum est. Christus uero nihil è cibis prohibuit, nec etiā apostoli, horumque successores. Quod si uero aliqua



aliqua animalia sunt à quibus Christiani abstinent, hoc simpliciter diutinae consuetudinis & propriae uoluntatis gratia faciunt, non propter doctorum & Euangelij traditionem. Vetus enim lex hasce obseruationes habebat, Euangelium uero nequaquam: sed omnia in uniuscuiusque potestate & arbitrio sunt constituta. propter diutinam uero, ut dictum est, consuetudinem à quibusdam animalibus abstinent, nec illis uescuntur: quemadmodum qui penes nos sunt Monachi, ab omnium carnum esu abstinent, non quod has impuras & reiiciendas esse arbitrentur, sed uitam (ut dictum est) augustiorem sequi cupientes, & rempub. habere longe sublimiorem propter corporis sui tolerantiam carnibus abstinent. Et ecce ex his quae de lege scripsimus, iudicare potes, legem Euangelio contrariam non esse, nec Euangelium legis omnia enim haec sibi consentiunt. Legis uero infirmitatem Euangelium compleuit. Si enim lex perfecta fuisset, nequaquam sic per Ieremiam prophetam dixisset Dominus: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & constituam super domum Izrael & domum Iuda foedus nouum: non secundum foedus quod pepigi cum patribus ipsorum, in diebus cum apprehenderem ego manum ipsorum, ut educerem eos de terra Aegypti: quoniam ipsi non perstiterunt in foedere meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quoniam hoc est foedus quod statuam domui Izrael post dies illos, dicit Dominus, Dabo leges meas in sensus illorum, & in cor ipsorum inscribam eas, & ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Nec docebit unusquisque proximum suum, et quilibet fratrem suum, dicens, Cognosce Deum: quoniam omnes cognoscent me, à minimo ipsorum usque ad maximum illorum. Quoniam propitius ero iniquitatibus illorum, et peccatorum illorum & delictorum non amplius recordabor. Attende diligenter ad ea quae dicuntur. Dicit Deus, Ecce dies ueniunt, et constituam super domum Izrael et super domum Iuda foedus nouum. Dicendo, constituam foedus nouum, ostendit primum illud esse imperfectum, futurum uero illud fore perfectum. Cum item nouum dicit, ostendit alterum illud esse uetus, cuius nullus sit usus. Quin dilucidius adhuc dixit, Non secundum foedus, quod pepigi cum patribus illorum, quoniam non perstiterunt in foedere meo, & neglexi eos, dicit Dominus. Omnia autem hinc elucescit, quod uetus quidem foedus abrogauit, nouum uero gratuitò concessit. Sed adhuc clarius de hoc locutus, sic dixit: Ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & omnes cognoscent me à minimo ipsorum usque ad maximum. Quoniam propitius ero iniquitatibus ipsorum, & peccatorum illorum delictorumque non amplius recordabor. Vides quomodo Israelis quidem populum reprobauerit, proculque à se abegerit: & gentes, quibus nouum foedus, id est Euangelium traditum est, populum suum nominauerit. Et domum Izrael & Iuda de ipsis gentibus dicere uidetur Deus, de Hebraeorum uero gente nequaquam. Quos etenim Christus diaboli filios uocauit, quomodo pater huius Deus eosdem populum suum appellaret: aut Deus ipsorum esse diceretur. Similiter per Esaiam quoque sic inquit Deus: E' Zion exibit lex, & uerbum Domini de Ierusalem. Et quae nam lex alia de Zion & Ierusalem egressa est, praeterquam Christi doctrina et Euangelium? Mosaica enim lex in monte Sinai promulgata est Iudeis, genti immorigere et ingrate: Christi autem doctrina & Euangelium ex Hierusalem. Verum tamen tute tecum considera, et uide. Quemadmodum homo tabernaculum quoddam umbratile extruens, de hoc non multum sollicitus est, in domo autem extruenda summo studio utitur, et in primis curat ut fundamentum positum sit firmum et stabile, ut forma domus sit comoda, et

Ierem. 31.

Esai. 2.



culmen imponat concinnum : quoniam etiam de elegantia domus non parum sollicitus est, in domo enim sua pater familias habitat. Sic etiam in ueteri lege & Euangelio contingit. Euangelium quidem, secundum quod in eo requiescere Deus uoluit, per omnia sanctum fecit, perfectum & iustum & stabile. In lege uero non sic : sed uolens hanc tantum non ceu inutilem abolere, quasi intranscursu ipsam tradidit, ut legis defectus per Euangelium implerentur & resarcirentur. Ceterum quemadmodum de Christo prophetae uaticinati sunt, & haec quidem sermonibus clavis exposuerunt, haec uero per anigmata : non solum autem de Christo, sed etiam de Euangelio & illius discipulis apostolisque : sic etiam de lege. Et primo quidem cum Isaac benedicere uellet filio suo primogenito Esau, non complacitum est Deo in hoc : sed Iacobo post hunc nato benedixit. Et Esau quidem typus erat legis & populi Iudaici, Iacob uero typus Euangelij & populi ex gentibus collecti. Iudas uero Iacobi filius genuit Phares & Zara. Cum autem Zara ad nascendum egrediretur, manus quidem eius emicuit, corpus uero nequaquam. Cum autem obstetrix manum filo tincto religauisset, manus infantis rursus ingressa est : & postea natus est frater eius Phares : quo in lucem edito, tandem & Zara natus est. Hoc autem uiso obstetrix dixit, Quare propter te solutum est septum ? Septum certe ab omnibus prophetis lex Mosaica appellatur. Quis igitur exposuit obstetrici duos esse infantes ? & quia nam de causa coccineo filo manum alterius religauit ? Tum quid nam innuens dixit, Quare propter te dissolutum est septum ? id est, quomodo tu typus legis factus es ? Et quemadmodum qui modo apparuisti, deinde absconditus es, & frater qui posterior te erat, prior in lucem editus est : sic etiam septum, lex scilicet, quae prima esse apparebit, paulo post posteriores habebit partes. Lex uero Euangelij, quae postremo uentura est, ante hanc enascetur. Unde nam obstetrix edocta haec dixit ? Diuina certe uirtute haec uaticinata est : et quae per prophetas loquitur Dei uirtus, per os etiam mulieris locuta est. Planius tamen adhuc & dilucidius per Ieremiam dixit Deus : Ecce dies ueniunt dicit Dominus, & constituam super domum Izrael & super domum Iuda foedus nouum, &c. ut superius dictum est. Viden' quomodo per figuras & prophetias manifeste & clare Deus legem demonstrauerit ociosam quidem esse, & imperfectam : euangelium uero efficax & perfectum ? Nihilominus miseri & excacati Iudaei nec imperfectam & impotentem legem obseruant, sed quotidie uel primi illius transgressores esse deprehenduntur (non accuso illos peccatorum, quis enim a peccatis abstinere poterit ? sed de lege dico, quod illam transgrediantur) & iidem si maxime uellent facere ea quae legis sunt, non tamen possunt. Et uide qua ratione hoc fiat. Deus constituit & decreuit, ut Hierosolyma omnium, quas gens Hebraeorum habet, urbium sit metropolis, in qua Solomon templum aedificauit, praecepitque Deus ut intra templum sacrificia fiant, & oblationes pro peccatis hominum : extra Hierosolimam uero & templum hoc sacrificia nulla esse offerenda. Quandoquidem igitur Hierosolymarum urbs destructa est, et templum subuersum, neque iam sacerdotum habent ad sanctificationem sui, neque modum offerendi Deo, quid nam ipsis est reliqui ? Nihilominus. Propter haec itaque & alia multa, quae nunc exacte scribere non est opus, neque Christiani esse deprehenduntur, quia euangelium non recipiunt : neque haeretici, quia nullum prorsus sequuntur haeresum doctorem : neque Musulmani, quia Mahometem non sectantur : neque Iudaei, cum nulla



nulla, quæ legis sunt, faciant: sed tales esse conuincuntur miseri, qui quid colant credant, ue ignorent, sed in perditione uiuunt. Viden' quomodo à uera & recta uia aberrantes, cum se recta incedere arbitrantur, in barathro & perditione esse conspiciuntur: Et hæc quidem hæcenus.

Quoniam uero in omnibus, quæ prius ad nos partim scripsisti, partim ore retulerunt tui ad nos nunciij, uoluntati tuæ obsecuti, copiosius nos defendimus, nunc age tui sermonis memineris. In fine enim literarum tuarum sic dixisti, Prudenti uel una sufficit oratio: quod reuera sic est. Si igitur prudenti uel una sufficit oratio, ut tu ipse testaris, et ipsa docet ueritas, prudens uero aliquis multis sermonibus. auditis bonis uerisq, nec illos receperit, uel decerpserit fructum illorum, nonne merito accusandus & reprehendendus fuerit? Vbi igitur nostræ hæc literæ, hæcq, nostra apologia ad te peruenerint, adhortor ut diligenter hæc consideres, & per singula uerba discutias, latentem thesaurum in his haud dubie inuenturus. Non enim animi nostri foetus sunt, sed ex libris Mosais, sed ex Davidis Psalterio, sed ex prophetis & Euangelio desumpta, quæ et ipse Mahomet & omnes Musulmani sancta & iusta esse cõfitentur & dicunt. Et hæc ipsa sunt, quæ uerbotenus ostendunt Christum filium Dei esse, & eundem Deum simul & hominem. Ipse enim est, qui ab omnibus prophetis Deus est prædicatus. Is est quem Abraham, utpote Deum, adorauit, & iudicem omnis terræ dixit. Is est quem cantu celebrauerunt angeli, & quem uirtutes supernæ in nubibus suis gestauerunt, quem uidit Daniel uenientem in nubibus ad iudicandum orbem. Is est, cui omnis creatura seruit, illius dicto obediens, uenti scilicet, mare, & reliqua. Is est, quo uiso infernus regnum suum amisit: cæterum & ante mortem cum tremore implebat huius imperium, dimittens Lazarum, & alios. Hoc testantur infinita illa, quæ fecit, miracula. Et quid dicā amplius? Is est, qui à Deo patre testimonium sapientius accepit. De hoc David dixit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilare Deo in uoce exultationis. Quoniam rex uniuersæ terræ Deus. Psallite prudenter. Deus regnauit super gentes: quemadmodum in superioribus copiosius dictum est. Non enim de Deo patre dixit, nec de Dei filio, quod prius quidē non existens rex uniuersæ terræ, postea uero regnum super omnes gentes & omnem terram acceperit: sed hæc propter hominem, quem assumpsit filius & uerbum Dei, propheta dixit, qui nec regnabat, nec à gentibus omniq, terra adorabatur, eo quod nondum esset natus. Post natiuitatem autem illius data est illi gloria, honor & potestas, ut dixit Daniel, & regnum. Cæterum & ipse David eodem loco: quin & ipse Christus post resurrectionem quasi obsignans huiusmodi prophetias, dixit apostolis: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Profecti, docete omnes gentes: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui uero non crediderit, condemnabitur. Vides ne quanta cum simplicitate & luce appareat, quod de homine, quæ filius & uerbum Dei assumpsit ex diua Virgine, eadē dicunt propheta, sed & ipse Christus: & de illo extant omnia testimonia propter hominum infirmitatem? Ipse enim filius Dei secundum diuinitatem testimonio non indiget. Quo enim testimonio Deus indigeat? Verumtamen quemadmodum de Christi incarnatione, cruce & passione, resurrectione itē & assumptione, de lege quoq, & alijs uaticiniis sunt prædicta, uisiones uisæ, typi facti: sic etiā de baptismo prophetiæ & typi sunt propositi, quæ tamē omnia ppter nimiam copiam, ut etiā in alijs, omisimus. De his tamē quædā particulariter perstrinamus,

Matth. 28



gamus. Moses ille magnus, si non potuisset per mare rubrum Hebræorum gentem traducere, perissent sanè Pharaonis manibus. Iosue etiā filius Nun, nisi Iordanem in diuersas partes secuisset, non ingressi fuissent Iudei terram promissam: arca uero propius propiusq; ad Iordanem fluuium allata, aquæ diuisæ sunt, & per siccum transiuit omnis Iudeorum populus: & arca typus erat diuæ Virginis Mariæ, quæ filium & uerbum Dei secundum carnem peperit. Cæterum & propheta Helias extruxit altare, & lignis holocaustisq; simul impositis, nullum omnino ignem inferebat, sed cum altare aqua perfudisset, orabat, cœloq; delapsus ignis sacrificium consumpsit. Vides neigitur quomodo omnia, quæ Christiani colunt, primis illis & uetustis testimonijs comprobata sunt? Hæc enim & alia multa baptismum denotabant. Sine hoc enim hominem saluari, est impossibile. Quapropter & ipse Christus dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur: qui uero non crediderit, condemnabitur. Cum uero hæc omnia sic se habeant, nonne ridiculum fuerit, quod libros quidem summo honore prosequimini, Deum uerò in his celebratum contemnitis, dicentes hominem esse, & non Deum? Licet itaq; q̃ fulissime fieri potuit, non scripsimus, propter nimiam scripturæ copiam, tardumq; infirmitatis tuæ iudicium, nihilominus tamen hæc tanta scripsimus, ut uel stupidissimo ad rectum uerumq; discendum sufficiat. Et ecce idem in te hodie, quod et in Iudeos, competit. de illis enim dixit Dominus: Dabo illis famem, sed non famem panis & aquæ, sed famem audiendi uerba Domini. Et sic omnino euenit. A tempore enim illo, quo Christus mortem subiit, in iram inciderunt irreconciliabilem & sempiternam: ex tunc omnis sanctificatio omnisq; doctrina ab illis defecit. Idem igitur & in te contingit. Nam in hodiernum diem usq; uerbum Dei nec audiisti, nec edoctus es: sed in stultitia ambulauisti, & tenebris. Nunc uerò missa tibi sunt Dei oracula, sanctorum & prophetarum dogmata: hæc igitur attente considera, & sine diligenter inspecto & accurata inquisitione stude, ne posthac in tenebris ambules, ne illud Dauidis in te impleatur oraculum, dicens, Filij hominū quousq; aggrauatis cor: quā diu diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Et cognoscite, quod Deus mirifice extulit sanctum suum, id est Christum. Quin & illud magni illius & admirandi Solomonis, dicens: In animam maioriolam sapientia Dei non transit, nec in corpus peccatis deditum. Ne similis fias deserto & solitudini spinas producenti, & tribulos: sed potius similis sis terræ fructiferæ, quæ semen susceptum trigecuplum, sexagecuplū, & centuplum rependit. Sic tu recepto Euangelij uerbo fructū proferas centuplum. Deum obtestor creatorem cœli & terræ, ut is oculos tuos aperiat, & dilatet cor tuum, ut facias opera tibi salutaria, quo paradysum et omnia bona in hac reposita possidere queas.

A M E N.